














G. V. Bor 983/A

Emptus venetys 29 septembris 1581 — 3 — — — — 0 ß

Matthijeus le Louve

Ae pp 63.47 Dr Julius Borgen

DE PESTE PERBREVIS TRACTATVS:

In quo Descriptio, Caussę, Signa omnigena, curatio admodum lata, & integra ualentium præseruatio, accuratissimè preponuntur.

Autore PROSPERO *Borgarutio, Medico, ac Philosopho celeberrimo.*

Cum Priuilegijs.





VENETIIS, Ex officina Marci de Maria Salernitani. MDLXV.



AMPLISSIMO Legum Doctori Bernardino Borgarutio:

AC PRAECLARISSIMO Medico, & Philosopho Iulio Borgarutio, fratribus dilectissimis, & colendissimis,

PROSPERVS BORGARVTIVS, Philosophus, ac Medicus.
S. P. D.





OSTEAQVAM ex literis uestris præteritis iam aliquot mensibus intellexissem (fratres obseruandissimi) in istis orbis terrarum partibus grauissimam, acerbissimamq; pestem uersari, præsertim in LONDINO totius Britanniæ Ciuitate florentissi-

ma, ubi tu Iuli frater tanta cum tui nominis exiſtimatione, tantaque cum laude medicinam profiteris; continere me non potui, neque animo ante conquieſcere, quàm iterum de hoc morbo tam peſtilenti audiuiſſem, eſſet ne planè extinctus, an adhuc ſua contagione populos inficeret. Cumq́ue interim mecum cogitarem quanto in periculo uterque ueſtrum eſſet, dum tu Iuli tantum temporis ſpatium nanciſci non poſſes, ut ſanitati, non dico cuiuſque alterius, ſed tuæ ipſius conſeruandæ operam adhiberes; & tu Bernardine maiori incommodo premereris, quod Iuriſconſultus ſis, artemque noſtram neſcias (tametſi enim peſtilentia malum grauiſſimum eſſet: tamē frater noſter Iulius ſua ſolita prudentia, accuratoque ordine medendi ſe ipſum ab ea potuiſſet melius, quàm tu te omni tua cura, & ſolicitudine defendere): Id circo ſtatui facere, quod uulgo nūc dici ſolet, ut una fidelia duos parietes dealbarem. hoc autem eſt, ut tam bre
uiter,

uiter, quàm tenues ingenij mei uires efficere poſſent, aliquam deſcriberem rationem, ac unam, qua faciliter, iuuante Deo, peſtilentem hunc morbum euitaretis. Quod eo lubentius feci, quo mecum preſſius conſideraui non ſolũ ea, quæ tibi Bernardine pro amore noſtro fraterno debeo: ſed etiam pro ſingulari tua erga me beneuolentia, pro humanitate, pro conſilijs, & monitis ſapientibus, quibus me ad ſtudia ſemper excitaſti. Quæ certe res omnes me admonent in præſenti, non ut te hoc ſolũ opuſculo, idque etiam cõiunctim cum alio exornem; ſed ſi quid ſit maius, tuiſque in me beneficijs dignius, id totum præſtem. Verum de hoc aliâs. Nunc has uigilias meas, quales illæ quidem ſunt, tales uobis mitto; atque etiam rationem ſtudiorum meorum, quę hos quinque annos, tum conſilio ueſtro, tum mea etiam uoluntate in arte medendi conſumpſi. In quibus certè methodo, qua potui optima, deſcribendis, uix tantum temporis adhibui, ut

mearum cogitationum primum fieret exemplar, quia ſubito à Vobis ſecundæ ad me literæ uenerint, quibus accipiebam peſtem ceſſaſſe, omniaque in priſtinam ſalutem eſſe reſtituta: Vos ſanos, ſaluos, & ab omni infirmitate liberos eſſe; quæ quidem res quàm mihi fuerit grata, quàmque certum me ueſtræ ualetudinis effecerit, Vos, quæſo, iudicate. Profectò ego quantum quiſque cogitare poteſt, animo conquieui, Deoque opt. Max. gratias egi, quod ad preces meas tam miſericorditer uobis tale donum conceſſiſſet. Nihilominus tamen, ut ij facere ſolent, qui poſt magnam aliquam tempeſtatem ſubito non acquieſcunt, ſeſeque tranquillãt; cum iam res omnis, ut uolebam, compoſita, perfectaque eſſet, nec in ea ego meo iudicio ſtare uellem, decreui hanc operam cum Medicis iſtius Academię peritiſſimis conferre, eoſque obſecrare, ut de ea quid ſentirent, libere pronunciarent: Vt ita demum ſcirem, eſſet ne hoc de peſte non dico argumen-

tum,

tum,ſed ipſa ſola tractatio ſatis conue-
niens,quæ ad Vos mitteretur,in ea pręſertim loca,in quibus magis, quàm alibi uſpiam ſtudia medicinæ florent: quique ea ſequuntur amplioribus honoribus afficiuntur . dubitabam enim,& ſubinde uerebar,ne hæc tota peſtis curatio ſatis à me eſſet imperfectè tractata. Quæ poſtquam ab iſtis perlecta erat, non eo certè animo ut ſub nomine ueſtro in manus hominum publice ueniret: ſed potius ut deſcripta priuatim mitteretur: (nam ego nihil aliud cogitabam,quàm breuem aliquam, ut dixi, rationem reddere ſtudiorum meorũ, tibique Bernardine; quod Iulius propter ſuas occupationes non potuit; aliquem modum præſcribere, quo te ab omni peſtis infectione liberum, et ſanum conſeruares); Vniuerſi dixerunt, uerè magnum erga me debere fuiſſe ſemper amorem ueſtrum, de quorum ego periculis tã anxie cogitaſſem.hocque factum meum plus illi laudarunt, quàm me ipſum decet ad uos ſcribere.

 Sed

Sed opuſculum meum ſatis quidẽ perfectum eſſe, illudque in ſe pietatis exẽplum habere, quod certè dignum ſit non ſolum inter nos conuerſari, uerũ etiam per uniuerſum orbem Chriſtianum propagari; ita ut à quibus ego exiſtimarem reprehenſus eſſe, tanquam qui in opere erraſſem, fui quidem quodammodo reprehenſus, ſed quod hũc laborem ſupprimi, nec in uulgus exire noluerim. Coactus igitur ſum eorum hominũ auctoritate, quibus ego nihil negare uel poſſum, uel debeo, hanc breuem de peſte tractationem chalcographis promittere, ut ea ſub ueſtro nomine in manus hominum prodiret. Sic enim fore affirmabant hi, de quibus iã dixi, ut omnes homines clare intelligerent, ueſtram erga me beneuolentiam, meamque in uos pietatem, deſideriumque aliquo modo gratificãdi: ſic meam promptam uoluntatem, noſtramque fraternam vnionem. quæ quidem quàm grata futura ſit Carolo Borgarutio Patri noſtro, homini iam

ſeni, quantumque ei profecerit ad lon giorem uitæ curſum peragendum: demum quantum allatura ſit uoluptatis alteri noſtro fratri Borgarutio à Borgarutijs; omnis, qui filios ipſe, uel fratres habet, facile poterit iudicare. Quoniã ergo ſic eſt uiſum præceptoribus meis, ut hæc tractatio diuulgetur, uolo ut ea ſub ueſtri nominis patrocinio exeat, non quaſi illa uobis à me dedicetur, ſed ut potius fratribus amãtiſſimis gratificer, eo modo, quo poſſim hoc tempore commodiſſime. Veſtrum autem erit, non conuertere oculos ad huius operis exiguitatem (quos ego fateor maiori remuneratione dignos eſſe) ſed à quo animo profectum id ſit, hoc ſolum conſiderare. Valete. Patauij. Pridie Non. Decembres.

M D LXIIII.

Ad lectorem.

Peſte malum nullũ grauius. peſtẽ odimus oẽs.
Omen & in triſti nomine peſtis ineſt.
Hãc fugere optamus ſi forte premamur ab ipſa,
Ne ue premat cœlum uertimus, atque ſolũ.
Scilicet id ſapere eſt, ueniẽti occurrere morbo:
Quæque futura forent, ante cauere malis.
Quod ſi oẽs facimus, cupimuſq; ſalute potiri,
Debeat & nummis carior eſſe ſalus,
Aere quid exiguo ceſſas opus iſtud habere,
Quo duce ſecurus tempore peſtis eris?

DE PESTE TRACTATVS,

Nunc primùm in lucem editus ab Excell. Medico Prospero Borgarutio.



ESTILENTIA, *seu pestis, quam Græci λοιμὸν dicunt, aliud nihil iuxta Hippocratis sentẽtiam uidetur esse libro de flatibus, & Galeni tertio de morbis uulgaribus, nisi mala, uel potius peßima, & pernitiosa admodum febris, uulgaris, communisque, ab ipso aere ortum ducens, qui nos quidem undequaque circundat, tãdem corrupto. Aer itaque nobis continuo contractus spiritus nostros internos principio lædit: quibus successiue offensi occurrunt humores, cordiumque humiditas innata, & ita deinceps febris quædam accensa omnium quidem nocentißima consequitur; quam idcirco Princeps noster Auicenna in pri. quar. febrem mali modi appellauit, quod latenter ægrum percutiat, ipsumque necet. Quod præterea morbus iste pestilens;*

Hippoc.

Galenus.

Auicen.

pestilens; sit morbus quidam uniuersalis, uel communis, uidemus nos eum omnes communiter inuadere, & breui quidem tempore homines necare. quemadmodum istud idem declarare Hippocratis uerba eodem de Flatibus lib. ostendunt, quæ huiusmodi sunt nobis latinè interpretata. Sunt febrium duo genera, ut hoc quoque nunc attingam, quorum alterū commune omnibus pestis appellatur. quibus deinde uerbis eodem lib. hæc alia præponēs subiungit. Communis febris propterea omnibus accidit, quod eundem spiritum omnes attrahunt, fitque ut simili corpori, similes spiritus similiter permixti, similes febres gignant. Sed est (inquit postea eodem libro) fortasse qui dicat, ut quid ergo non omnibus animantibus, sed alicui eorum generi incidunt hi morbi? Cui ego sic responderim. Differt corpus à corpore, natura a natura, & nutrimentum à nutrimento. Non enim omni animantium generi eadem aut non conferūt, aut commoda sunt, sed sunt alia alijs magis conuenientia. Omnibus itaque consentientibus morbus iste pestilens, febris erit praua, seu pessima, ac pernitiosissima, communis, ac uulgaris ex pestilenti aeris statu proficiscens; erit, inquam, morbus utique contagiosus, maximum quidem bellum inter uitam ac mortem, & mirabile admodum

Hippoc.

dum

dum diuinum erga mortales flagellum. Ad cu ius curatione m antequam accedamus, & ante quam causas, signa, prognostica, generationē, præcautionem ordine subtiliter perquiramus, Aeternam ipsam Monarchiam quã humiliter ac deuote deprecari, orareque semper debemus, ut ab hoc prædicto flagello intacto, nos omnes relinquat. Post quas preces, & facilius, & commodius, ac melius ad prædictarum rerum inquisitionem tandem accedere poterimus. Causas igitur istius contagiosæ pestis (ut ab eis exordiamur) multas quidem esse opinor, quas omnes non recensendas esse duco, ne breuis iste noster tractatus perprolixus nimium appareat, qui postea uel clarior, aut utilior, & facilior minime succederet; sed potius forsan obscurior, difficilior, ac magis lectoribus permolestus euaderet, ijs præsertim, qui breuibus rem totam legere, ac simul percipere desiderant. Quod si quidem, ut commodius nobis eueniat in causa erit posthac, ut de eis tantum causis pertractemus, quæ nempe magis nobis necessariæ huic nostræ declarationi uidebuntur, & à quibus absque ullo difficultatis timore satis alias uniuersas unusquisque rectè cognoscere possit. Duplices itaque talium morborum causas esse statuemus, sicut etiam hoc idem ex Galeno pri. de diff. feb. cap. quar. appa- Galenus.

Causæ

ret,

ret, ac alijs plerisque in locis; sed non eas dupli ces: quas quidem, qui altius rem totā perscrutari uolunt assignare conantur; Terræ nempe alteram, alteram cælo adscribentes; quandoquidem se ipsos, artem, ac omnia potius subuertere uidentur, quam boni quicquam ostendant, ut inferius declarabimus; Verum enimuero si eas minime spurias causas, uel dicamus ineptas perquirere desideremus, sed legitimas tantum accipiamus, aeris tantum malam coinquinationem, & humorum nostrorum cor ruptionem aßignabimus. Quæ quidem ambo satis nempe uiolenter pestem nobis afferre poterunt, etiam si ex corrupto tantum, atque uitiato malo aliquo inquinamento aeris nascatur morbus iste. ab aere, inquam, qui morbidam ex cretionem in se habens, quæ ueneni instar sit, pestilentes, & contagiosos parit morbos, ut Ga lenus lib. de Theriaca ad Piso. his uerbis bellissime expressisse est uisus, inquiens. Pestis tanquam & ipsa existat quædam bellua, haud paucos interimit; uerum Ciuitates quoque totas depascens, malè conficit. Quippe (subdit) praua quædam aeris ad corruptionem prompta mutatio efficitur, & homines cum respirationis neceßitate periculum euitare nequeant, ipsum aerem ueluti uenenum quoddam ad se per os attrahunt. Quod quidem & rursus

Galenus.

idem

idem author, lib. ad Pamphilianum confirmauit, Hippocratis utiq; lib. de nat. hum. mentem ſequutus. Hæc profectò prima, atque præcipua contagioſorum morborum, tum & peſtilentium cauſa: Vitioſi aeris inquinamento aliquo, ſeu uaporibus infecti attractus, cui altera ſucceſſiue aſſociatur: humorum uidelicet internorum permutatio, ac corruptio. Putredinis autem (inquit Galenus eodem lib. de diffe. feb. et ca. eodem) principium uel cadauerum multitudine non crematorum fit, uel ex aliquorum uel lacuum, uel paludum æſtatis tempore euaporatione, uel cœno, luto, alijſque cõſimilibus, aut à terræ ſpecubus, ac baratris, quæ aerem omnes nos ambientem facilè quidem coinquinare poſſunt, & in ipſo uitium aſtruere, unde peſtilenter iſti morbi poſtea naſcuntur. Si præterea domi quis belluas aliquas mortuas, et putredini iam uicinas, uel legumina, aut ſegetes ſimiliter putridas retinuerit, omnia etiam hæc, ſciat, in cauſa poſtea eſſe ut aer ille domeſticus coinquinetur, ac malus uel peſtilens reddatur. ſicut etiam cum in Ciuitatibus, aut uijs earum res praui alicuius, & fœtidi odoris aggeruntur, ut lini, cannabis, coriorum, ut braſſicæ, arborumque erucæ, & huiuſmodi, quæ in aquis macerantur graueolentia. & ſic uarijs, infinitiſque quodam modo occaſionibus accide re

Hippoc.

Galenus.

re poterit ut prædictus aer putrefiat, corrumpatur, ac pestilens omnino euadat. Nec quicquam hæsitandum erit, licet dubium quoddam appareat, quod aer (ut quidam dixerunt) nec ignis immutentur, ac putrescant, sed aqua tantum, & terra; quod quidem satis apud Peripateticorum principem uidere erit proble.
Aristot. 20. sect. 25. quoniam cum ipso met eodem Aristotele, aut uerbis potius eiusdem, quam facile à nobis dubitationem istam remouebimus, cum rei huiusmodi rationẽ aßignat, sic dicens. quod id nullatenus eueniat ob aeris naturam, sed quia igne refertus est, qui imputrescibilis omnino existit, cum eo nihil sit calidius. quemadmodum ergo qui igne refertus est aer nõ putrescit, ita ob alteram ei permixtam substantiam prauam, suamque humiditatem non raro putrescere contingit; quo fit ut ipsi non repugnet Aristoteles, & à nobis remouebimus omnem non solum huiusmodi dubitationem, sed eandem etiam resoluemus, unà concludentes, quod ea prædicta uia coinquinetur, immutetur, corrumpatur, & pestiferum tandem uenenum acquirere poßit. Et quamuis deinde alterum adhuc in mente remaneat dubium, nunquid aer poßit in propria sui substantia, seu essentia alterari, ac putrescere, adeò ut propterea pestilens reddatur, cũ ipse (ut satis patet) inter

inter cætera corpora à philoſophorum, ac medicorum ſcholis connumeretur: tale ita quoque dubium ex mente noſtra remouebimus, & omnino conquieſcemus, quotieſcunq; in memoriam reuocebimus, aerem, donec propriam ſeruat naturam, uel ſubſtantiam, ita ut prorſus purus, ac ſincerus ſit, putreſcere nullo modo, ſeu corrumpi, & peſtilentem reddi poſſe. At ubi contingat ut amplius eo modo, quo fieri poſſit ſincerus, ac purus non fuerit, ſed aliqua (ut diximus) ei permiſceatur ſubſtantia praua, ut aliquis uapor putridus, uel quid huiuſmodi, ex antedictis, ſanè quidem credendum erit aerem non modo poſſe putreſcere, uerum etiam & corrumpi, ac ſecundum totam ſubſtātiam immutari: quod uerò non ſolùm aer, ſed cætera quoque elementa (excepto igne) putreſcant, ita certum eſſe apparet, quam quod certiſsimum, ut decretum reliquit ipſe noſter Ariſtoteles quar. Meteororum tex. quin. Sine igitur diſcrepantia aer ideò putreſcit, ac corrumpitur ſecundum non ſolùm eius naturam, uel ſubſtantiam, aut eſſe, ut ex prædicto Ariſtotele liquet quamplurimis alijs in locis ut probl. 21. ſect. pri. & poſt ipſum Galenus ſecum de nat. hum. & 12. meth. med. pr. de diff. feb. & prius Hippocrates etiam ſec. & ter. de uulg. mor. hoc idem nobis affirmat, concluditque. Nec

Ariſt.

Galenus

Hippoc.

igitur propterea ulterius nobis dubitandum erit, num res sic se se habeat, nec ne, postquam et ipso sensu, rationibusque satis probabilibus, & prædictorum uirorum auctoritate iam con quiescere poterimus, id ipsum concludentes, quod & materia ipsa, ac forma immutatur, alteratur, coinquinatur, corrumpitur, & tandem putrescit, ac uenenosam naturā acquirit: immutatur, inquam, alteraturque non secundum quorundam aeream (ut sic dixerim) opinionem doctorum, qui quidem frigida, ac humida intemperie coinquinari asserunt, nihil forsan intelligentes ea, quæ tum ex Hippocrate, tum ex Galeno relicta patent. Ipse enim diuinus senex secun. & ter. de uulg. mor. aerem ne dum in manifestis qualitatibus, sed etiam secundum totam substantiam fuisse ostendit immutatum: fuit etenim ne dum calida, & humida, inquit, constitutio, sed nebula turbida, umbrosa, seu caliginosa, & aer multis nubibus plenus, non lucidus nec purus, neque omnino serenus, quemadmodum ex Galeni mente id idem colligere possumus: quibus paulo post subdit eodem lib. comm. tert. super tex. pri. & uidetur putredo ex materia quidem gigni humida, ex causa uerò efficiente extraneo, & præter naturam calore. Valde itaque dictorum doctrina decipitur, & ab istorum auctoritatibus omnino

Hippoc. Galenus.

nino

nino aliena declaratur. cum quibus non hactenus erit disputandum, postquam satis inepte frigiditatem caloris loco præposuerunt; qui quantum ratione pugnent, facile unicuique patet. Quamobrem absq; dicta eius putredine credendum quoque erit nos peste intactos perpetuo permansuros, & (ut opinor) si statim à principio optima remedia adhiberemus, ne aer prædictus ulterius corrumperetur, uerum potius ad eius naturalem statum conuerti posset, sine magno admodum labore, uel dispendio, liberi omnes ab huiusmodi exitiosissima peste quiesceremus. Hæc itaque, sine discrepantia, prima, ac præcipua erit pestis causa, à qua præter alias pene innumerabiles, altera antedicta humorum putrefactio procedet, ac interna præsertim nostrorum cordium humiditas: causas eorum retro ponentes, qui secretiores his pestilentibus morbis aßignant, ut apud Ptolomæum, & Alkabitium uidere liquet, ac alios quamplurimos cum Medicornm, tum uerò Astronomorum in magnis planetarum coniunctionibus, complexionibusque euenire tradentes; quemadmodum hoc etiam Auicenna Fen. prim. quar. tract. 4. ca. pri. pestilentis febris causas enumerãs arbitratur. Principium (inquit) omnium horum sunt formæ ex formis cœli, facientes esse necessarium illud, cuius

Ptolom.

Alkabitius.

Auic.

 aduentus

aduentus ignoratur. Et paulo post. Oportet ut scias quòd causa prima lõginqua ad illud, sunt figuræ cœlestes, & propinquæ dispositiones terrestres. Quem ut potè scholæ Arabum principem, multi non eius factionis solum, sed meliorum disciplinarum cultores secuti sunt. Vt uerò illis concesserim una cum Galeno lib. pri. de diff. feb. cap. quar. à tetris spirationibus aeri circunfusis, & ab impuris terræ locis manantibus contagium huiusmodi procreari: sic certè à cœlo defluere id mali admitti nullo modo debet. Neque ullum esse cœli, ac syderum con cursum talem aut cõfigurationem, quæ pestem immittere in inferiora hæc quæ incolimus uelit. Quod ut non temere affirmare uideri possim, ea potißimum adferam, quæ dicto fidem asserere ualeant. Non ne summus ille diuinus Plato (ut ab ipso incipiamus) in Epinomide astrorum eam uult esse naturam, ut et uisu pulcherrima sit, & progressu, choreaque insignis, animalibus cũctis cõmoda præbeat: sanè quidẽ hoc totũ eius uerba cõstringũt, quæ græce hæc erunt. ἄλλο δὲ χρὴ ζώου γένος θεῖον αὖ δεύτερον γιγνόμενον ἅμα καὶ δυνατὸν ὁρᾶσθαι. τὸ γὰρ πλεῖστον πυρὸς ἔχει μὲν γῆς τί καὶ ἀέρος, ἔχει δὲ τῶν ἁπάντων τῶν ἄλλων βραχέα μέρη. διὸ δὴ ζῶά τε ἐξ αὐτῶν παντοδαπὰ γίγνεσθαι χρὴ φάναι καὶ ὁρώμενα νομίσαι δὲ δεῖ πάντα τὰ κατ' οὐρανὸν ταῦτα εἶναι

Galenus.

Plato

ζώων

ζώων γένη. ὃ δὴ πᾶν χρὴ φάναι θεῖον γένος ἄστρων γεγονέναι. σώματος μὲν τοχὸν καλλίστου, ψυχῆς δὲ εὐδαιμονεστάτης τὲ καὶ ἀρίστης. δυοῖν δὲ αὐτοῖς μοιρῶν, τὴν ἑτέραν χρὴ δόξῃ μεταδιδόναι σχεδὸν. ἢ γὰρ ἀνόλεθρον τὲ καὶ ἀθάνατον ἕκαστον αὐτῶν εἶναι, καὶ θεῖον τὸ παράπαν ἐξ ἁπάσης ἀνάγκης, ἤ τινα μακραίωνα βίον. ἔχειν ἱκανὸν ἑκάστῳ ζωῆς, ἧς οὐδὲν ἔτι πλείονος ἂν προσδεηθεῖ ποτὲ. Quod quidē est. Alterum animalium genus statuendum est, quod etiam & gignitur, et cerni potest, et ignis quidem plurimum, terræ quoque, & aeris, cæterorumque omnium paruas particulas habens: uariaque omnino hinc animalia, & uisibilia generari dicendum, Hæc cœlestia existimamus animalia esse, diuinum astrorū genus, corpore quidem pulcherrimo, anima autē tum beatißima, tum optima constitutum. His utiq; animalibus è duabus sortibus alteram tribuendam putamus. Nam aut absque pernicie immortalia, atque diuina necessario singula sunt, aut uitam longæuam agunt, singulis adeo sufficientem, ut longiore nō egeant. Si igitur absq; pernicie esse astra assignat Plato, & sidera omnia diuinaque etiam, ac sempiterna, quo nam pacto contagiosam pestilentiam his inferioribus largientur? cum purißima, ætherea, & ab omni prorsus contage alienissima sint? Nōne iterum ex eodem probare id ipsum licebit,

cum inquit. τουτὸ δ' εἶναι τὴν τῶν ἄστρων φύσιν, ἰδεῖν μὲν καλλίστην, πορείαν δὲ καὶ χορείαν, πάντων χορῶν καλλίστην, καὶ μεγαλοπρεπεστάτην, χορεύοντα, πᾶσι τοῖς ζῶσι τὸ δέον ἀποτελεῖν. *Quod est. Hanc astrorum naturam esse, uisu quidem pulcherrimam, progressu, & chorea optima utentẽ, oĩum quæ chorearũ recẽtissima, ac magnificentissima quæ cũctis animalibus cõmoda p̃bet. Si ergo bona, atq; cõmoda impartiri astra animantibus cunctis soleant, sit autem bono malum contrarium, ipsaque pestis malorum omnium pernitiosissimum, fieri profectò minime potest ut ab astris euenire possit. & si nullũ sydus malum erit, quænam pacto mala in hæc inferiora ui sua planè benefica ac salutari immittent? Non ne Aristoteles etiam in lib. 9. metaph. cap. 10. hoc idem confirmat, sic dicens? Non igitur quicquam in ijs, quæ à principio, & quæ perpetua sunt, malum est, neque error, neque corruptum, etenim corruptio de malis est. Mercurius quoque Trimegistus in Asclepio non ne talem prorsus reprobat ineptam opinionem? cum inquit. Quicquid de alto descendit generans est. Quod si generat, quod è cœlo ad nos labitur, quomodo corrumpere potest? Dicant obsecro Astronomiæ sectatores isti, quomodo, aut qua tãdem ratione hoc absurdum defendere possint, quid, quod stellarum*

Arist.

Mercur.

rum

rum quædam sunt fortunatæ, quædam uerò in fortunatæ. Sed uideant precor quid Auerrois sibi uelit cum inquit. Et ex hoc cognoscitur impossibile id esse scire, quod Astronomi dicũt stellas quasdam fortunatas esse, alias infortunatas. Id autem sciri de eis potest quasdã quibusdam esse meliores. Desinant itaque omnes, & cum ipsis una, qui eos sequuntur parum cordati Medici nobis suis fallacijs, technisque imponere; impium enim esse oportet dicere, atque nefas diuinissimis, ac purissimis existẽtibus corporibus corruptionis omnis, ac passionis expertibus; faterique tandem conentur nec à cœlo, nec à syderibus tantum mali in mortalium perniciem deriuari, sed id omne ab impura inferiorum exhalatione manare, & in natura mortalium subesse confirment, causamque eorum huiusmodi irrideant, & tanquam ineptam postponant in futurum. Ac nobiscum una fateantur Theologorum certissimam esse cum dicunt. Dei summi, arcana uoluntate, atque inscrutabili consilio non rarò pestilentes morbos, sæuaq; contagij semina, huc ad puniendа hominum scelera, reuocandosque ad se à corruptela morum homines, immitti. Et ita cum Theologorum scholis concordantes, & medice postea causas alias inquirentes, eas tãtum præponere non dubitabimus, quas superius modo Auerr.

demonstrabamus. aeris (inquam) corruptionem; humorumque putrefactionem. At non propterea consequetur hanc pestilentem febrē eiusdem generis esse, cum his quæ ab humorum putredine accenduntur; quoniam perpetuo eā ab externa causa ortū ducere fas erit, quæ, aer erit immutatus, ac coinquinatus, uel corruptus: illæ uerò contra nunquam ab externis fiunt, semper autem ab internis. Præterea illæ febres, à quauis humorum putredine excitantur, ista uerò nisi maxima genita fuerit putredo generari nunquam poterit, & maxima in modum, ut potius corruptio per putrediuem, quam putredo simpliciter appellanda sit. Postea id ipsum, quod in hac pestilēti febre putrescit perpetuo cordis aliquam esse substantiā conueniet, in alijs uerò febribus, quæ ex humorum quidem putredine oriūtur, uel nunquam, uel rarò id euenire uidemus. Quamplurimis itē rationibus inter se ipsas differre inueniemus. sed ut citius finem tractatus attingamus, uniuersas prætermittemus. Et causas hoc modo absoluemus, tum aeris prædictas, tum etiam humorum, semper illud concludentes, ut prima, ac peculiaris causa pestis prædictæ sit solum pessima aeris putredo, et corruptio, cum in materia, tum in forma à rebus iam superius demonstratis, cum alijs quam plurimis, quas etiā

præter-

prætermittendas duximus ; quibus traditis finem faciemus, & ad ſignorum declarationem noſtra conuertetur oratio ; in quibus eundem ſequemur ordinem, quem hactenus in cauſis prædictis ſecuti ſumus ; ſolum ſcilicet ea ſigna demonſtrabimus, quæ magis quidem manifeſta nobis apparebunt. Si igitur aſsidue in fine ueris mala erunt tempora, hoc eſt pluuiæ, uel in æſtatis fine abſque uentorum flatibus cum uehementi admodum calore : uel ſi meridionales uenti flauerint, & dum non pluit turbidus tamen ac nebuloſus aer conſpicitur, peſtilentiam futuram in fine æſtatis proculdubio ſignificabit : ſicut talem inquit Hippocrates fuiſſe temporis conſtitutionem, cum in Cranone ciuitate ita horribilis, magnaque peſtis ab eo deſcripta fuit : facile ſiquidem diuinus Hippocrates ante tempus à prædictis omnibus mutationibus cognouit; quod cum ſic confuſum tempus tunc eſſet, aliud nihil euenturum quidem niſi malus aliquis affectus, & cum ingenio omnia conſideraſſet, quam optime ſanè comperijt eos peſte tremebunda correpturos iri . quæ poſtea cum eius prognoſticatione ſtatim euenit, ut idem tēporibus quoque noſtris euenturum opinor, ac poſteriorum omnium. Aliud adhuc è cœlo accipere etiam poterimus, ideſt cum igneæ flāmæ, ac ueluti ſtellæ cadentes, uel cometes in aere uidentur,

Futuræ peſtis ſigna.

Hippoc.

uidentur, uel solis incensus calor; quæ omnia ex immodica siccitate, uel uapore (ut sic dixerim) accenso, proueniunt, & facile aerem postea corrumpere, ac immutare possunt, potißimum autumni tempore; uel si arbores ardere uideantur; aut si à longe quicquam inspiciamus, aer penitus ptremet, ut accidit super fornacē igne refertam, certius est signum pestis uicinitatis in mortales; sicut fuisse refertur aerem anno iam elapso apud non nullos Anglorum populos, inter quos deinceps ualde horrenda quidē pestis misere uiguit; ita ut quamplurimos Londini illæsos timore tantum, ac periculi cogitatione supernecauerit; quemadmodum etiam sæpius apud Gallos uidere licet, quibus sæpius quoque pestis acerbißima resurgit. At si aer quasi puluerulentus mensibus aliquod perseueret, & siccæ, crassæ, ac multæ nebulæ cum ipso uideantur, clarum etiam pestis futuræ signum ostendunt; ut sæpius illi etiam experiuntur Bisantini populi, quos pestis sæuissime continuo necat. Cumque aerem uideamus turbidum, uel nebulosum, ac utrumque autumni, & hyemis tempore, pluuiamque speremus, nec tamen pluat; tunc etiam signum erit eius temporis temperamentum esse corruptum; quemadmodum idem euenisse; tribus ab hinc annis in Babilonia ciuitate antiquißima quamplurimi mercatores

tores

tores nobis retulerunt. Rursus æstiuam pestilẽtiam nobis designat pluuiæ paucitas in uere, cum frigore multo; quibus signis cum uentus subsequitur Auster, aliquotque diebus aer modo frigidus, modo calidus conturbetur, uel canes etiam multi rabie afficiantur, pestem futuram omnino demonstrant; sicut cum lupi per ciuitates transcurrant, fastidiosi, molesti, ac rabida fame oppressi, clarum etiam est nobis futuri istius morbi indicatio quædam; quemadmodum quoque multi ex antiquioribus nostris fuisse dicũt multis elapsis iam annis in nostris partibus apud Felicissimi, Illustrißimique Principis nostri, ac Potentissimi Ducis Vrbini populos, quem cum omnibus Deus perpetuo conseruare dignetur; incolumenq; relinquere, ut feliciter nos omnes gubernet, cum inter cæteros uniuersos Principes, Princeps iustissimus, cum omni benignitatis ac pietatis feruore nostris temporibus reperiatur. Asserunt itaque seniores illi tunc temporis ualde quidem impia peste diutius oppressos fuisse. Aues etiam nobis inditium maximum futuræ pestis ostendunt, quoties oua, ac paruulos eorum pullos immaturos adhuc deserunt; serpentes etiam per aerem apparentes, uel uermes, ranarum multitudo cum uarijs una, diuersisque uisionibus signa quoque manifesta nobis semper sunt futura.

ra. Alia deinde signa nobis apparere possunt, quibus in coniecturam uenire possumus pestis aduenturæ; quæ breuitatis gratia nobis præter mittentur, ut citius ad hominis correpti signorum inquisitionem accedamus. Sed quoniam in peste omnia horrendißima fieri possunt, & grauißima quæque superueniunt, nihilque in ea uelut in alijs morbis definitũ est, ob id à maximis exordiemur inditijs febrium istarum pestilentium; quæ quidem maxima aut à calore, uel pulsu, uel urina, aut ab omnibus una sumuntur. Calor si quidem harum febrium ab alijs per putredinis copiam differt, ut tangentibus nobis eos cognoscere liquet, postquam nunquã calidi ut perurant apparent, & extrinsecus in extremis eorum partibus tactu perfrigescunt, licet interius magno flagrarint incendio, ut liquet etiam ex Galeno sext. de uulg. morb. com. pri. super text. 29. in ea peste euenisse, quam Thucidides descripsit; quibus adeo interiora urebantur, ut neque ualde subtilium uestimentorum, neque linteolorum uelamenta, neque aliud quicquam præter nuditatem ferre possent; quamuis exterius corpus tangenti ualde calidum non erat. Aliud deinde sequitur signum antequam ad pulsuum signa perueniamus, quod erit ut omnes totius corporis grauitas permagna tunc opprimat, cũ sudore quodam

Quibus signis iam hominẽ peste oppressum cognoscamus.

Galenus.

Thucidides.

dam fœtido, ut plurimum laßi, ſegnes, uel ſonnolenti uidentur, cum reſpirationis quoq; difficultate, ac maximo quodam anhelitus fœtore, ſæpißimaque oſcitatione. quos uerò ſi Medicus manum ſuper pectus imponat ut febris calorem dignoſcat, calidos magis ibi eos inuenerit, quam alibi per totum corpus. Deinde uel breui, uel nunquam ſine capitis dolore reperiũtur; quos etiam ſi conſpexeris iratos quodam modo iudicaueris, continuoq; color uarius, ſitibundi, facile uomentes, difficulterque cibum retinentes, cum oris, ac linguæ amaritudine, nigredine, uel citrinitate, ac ſiccitate. Pulſus poſtea adſunt omnino frequentes, celereſque ſæpius, non autem prævalidi, ſed quibuſdam imbecilli, manifeſtiuſq; celeritas cõtractionis percipitur; quibuſdam uerò aderunt pulſus ferè moderatis ſimiles, parumque præter naturam immutati, ac in eodem ſtatu perpetuo permanentes. Vrinæ non ſemper eodem modo uidebuntur, ſed aquoſæ, tenues, bilioſæ, ad nigredinem interdum tendentes, ut Paulus Egineta inquit lib. ſec. cap. 36. ac conturbatæ, aut quibuſdam craſſæ, ſubfœtidæ, uel omnino ſanorum ſimiles colore, craßitudine, ac ſedimento; quæ inter omnes exitior eſt, uel quoque ſuperius circa coronam (ut ſic dixerim) quædam ſubliuida quodammodo apparent, ac fugiunt; & item Paulus Egineta.
aliæ,

aliæ, quæ araneарũ telas ueluti latas referũt, uel campanulas quaſdam intus conſpicies, ut ſi oleum proieceris; at ſi quid huiuſmodi animaduertas, aut nullum planè ſublimamentũ innatare, urinis in deteriorem omnino partem interpretare, ut Galenus inquit tert. de præſag. ex pulſ. cap. quar. Verum ex urina in eiuſmodi febribus; præſertim ubi corpus cordis occupauerit firmam notitiam petere ſemper non licebit, ſed certiora quæramus ſigna. Apparent deinde per uniuerſum corpus affectum puſtulæ quædam peſtilentes, ut ſunt carbunculi, ac praua alia ulcera, & pernitioſa in facie, tonſillis, aut ſub alis, aut circa inguina, ac in reliquo corpore, ut illud idem recenſet Aetius lib. quin. cap. 95. ac Paulus libro iam prædicto. Aliquando quieſcere nullo modo poſſunt, incidunt in ſyncopim, ſeu animi deliquium, ac ſæpius ſi ſudant, ſudorem frigidum ſudant: cum uomuerint, materiæ quædam erunt coloris uariæ, præſertim ad nigriorem uergentes: ſi per ſeceſſum talem habeant fætentem materiam, aut uiſcidam, uel breui morituros eos exiſtimato, uel nullatenus euaſuros, niſi ope tantum diuina; nam ut perbelle inquit Galenus citato loco ca. ter. quam excogites medicinam ad putredinem, quæ cor occupauerit? quibus peſtilẽtibus ſignis aliud tandem ſuperaddemus, &

Galenus

Aetius
Paulus.

Galenus.

postea

postea ulterius progredientes ad curationem, & reliqua perueniemus. si nigram igitur, aut plumbeam, putridamve habeant urinam: ac fœtentem anhelitum, torporem, seu spasmum, istos quoque mors cito inuadet. Et licet multis adhuc signis cognoscere possimus, & pestem ac peste correptos; nobis tamen sat fuerit ea tantum enarrasse, quæ nos manu ducere possũt in aliorum perfectam cognitionem. & ita signorum declarationem absoluemus, postquam dictum est eam dignosci ex febris maligno more, uomitu, angustia, conturbatione, animi deliquio, pestilenti aeris statu, à quo multi eodem morbo corripiuntur, ac alijs plerisque. Sæuiẽti igitur morbo confestim nos occurramus, quod procrastinatio in talibus morbis mortem adferre soleat; unde est illud Hippocratis aph. Hippoc. *10. lib. quar. medicare in ualde acutis morbis si materia turget, eadem die, tardare enim in talibus malum. Sed ad alia iam accedamus, id unum tamen non relinquentes, quod homines pestis magis obnoxij sunt habentes humores crassos, uel prauos, aut multos, & sanguinis copiam, suntque præcipue pueri, & adolescentes, nubiles puellæ, & qui temperaturæ sunt calidæ, & humidæ; deinde qui calidæ ac siccæ, uel frigidæ, ac siccæ. Qua propter hi omnes inter alios cauere magis debent, ne multum in locis*

maneant,

maneant, ubi magna ſit aquarum copia putridarum, uel ubi multa ſint cadauera licet ſepulta, uel in ſatis uaporoſis locis, ubi facilius ortum ducere hæc peſtis poteſt. Peſtis præterea ut plurimum ultra triennium non ſæuit, uel durat, aut quia tamdiu aer ipſe, cum ſit læuiſsimæ ſubſtantiæ, ulteriorem putredinem pati non queat; uel quod tandiu non habet in quos ſæuiat. Lutetiæ tamen Pariſiorum, ubi alias aliquandiu iſtis ſtudijs operam dedi, continuo aliquem reperies peſte correptum, nec unquã penitus deſinit, ita ut iam minus multi timeant, quam capitis minimum dolorẽ; anniſq; ſingulis in cœleſtis Piſcis coniunctione, ac Solis cum Luna oppoſitione, & quando Sol ſub Saturni, ac Martis quadrangulum tranſit, reſurgere ſemper uidetur, & creſcit, ſicut ubiq; id euenturum peſte uidebis; deteriuſque nos tractat in Solis ortu & occaſu, quàm medio die, ac media nocte, ut id totum tot Pariſienſes probare poſſunt, cum eis una, qui ordine, ac methodo peſtem curarunt; ſed tamen ſi inter eos continuo duraret, ac ſæuiret, ut ea durauit inter Anglos Londini, ubi mille quandoq; in hebdomada occidebat; certe credendum eſt quod duitius nõ perduraret. et ſic cauſis, ſignis ac rebus alijs prædictis iam finem tandem imponamus, ordinemque, uel modum, & metho-

Quandiu peſtis per duret.

dum

dum nos quoque curationis ponamus, ut liberi ab hoc contagioſo morbo liberi maneamus, alios curemus, correptos, cæteroſque ſanos præ ſeruemus. Ergo ſi peſtis uis locum quempiam occupauerit, tractumve terræ aliquem, protinus periculum ſubeſſe conſtat, ne labem eam aeris inquinati attractu contrahant, qui ibi degunt homines. Quod ne fiat, prima, præcipuaq; ea cautio fuerit ut aerem putridum ſummoueamus. Quoniam (ut Galenus inquit pri. de diff. feb. ca. 4.) huiuſmodi peſtilentes febres neque ſimplicem habebunt curationis indicationem, quemadmodum de cæteris febribus, quæ ex humorum putredine fiunt, ſed geminam: alteram nempe, quæ ex ipſa febre præſtatur; alteram uerò, quæ ex putredine ſumitur; quãuis putredo primo ſananda ſit tanquam febrium cauſa, nec interim febris, quæ per eam accenſa eſt ratio, non erit habenda, modo uires ualeant, & ſi in idem conſentiant, quæ febrem extingunt, & putredinem auferant, ſine cunctatione id agendum erit. At cum putredo in his febribus non ex quapiam interna cauſa ſed ex putrido inſpirato aere originem ducat, huic primo proſpiciendum erit, ne & putredinem, & febrem amplius in corporibus efficiat, atq; augeat; deinde quicquid eorum iam factum eſt ſummouere tentandum. Aerem itaque purificabimus,

Peſtis curatio.

Galenus.

cabimus, atque putridum dissipabimus extinguemusque, multo ex odoratis lignis accenso igne, quod in magna illa pestilentia ex Aethiopia in Græciam populariter sæuiente fecisse

Hippoc. Hippocratem scribit lib. de Ther. ad Pis. Gale-

Galenus. nus. Sint autem ligna odorata, & quæ igni admota suauissimum spirent odorem, qualia habentur libanotis, quem rorem marinum uocāt, laurus, iuniperus, quercus, agallocū, lentiscus, hyssopus, maiorana, salices, genistæ, & eius generis alia; uel species quædam aromaticæ, quæ spiritus quidem corroborent nostros; ut sunt cinnamomum, chariophylli, iuniperi semina, lauri baccæ, ualerianæ grana, spicæ nardi, cubebe, myrrha, styrax, ladanum, citri cortices aridi, limonumque, lignum aloes, laser indicus, olibanum, muscum, gallia moscata; omnibus tritis, & in puluerem tenuissimum redactis, ex qua florum citri infusionis tragacanthi effictis pastillis, ac igni subditis, aerem præstat euaporare, uel ita omnia hæc grosso modo contrita in ignem proijcere. mortuorum cadauera statim remouenda erunt, si adsint insepulta, ac singula uel sepulcris tradere, uel potius comburere opus erit. Et sic omni cura studebimus omnia quæ superius coinquinare, ac pestilentem aerem formare diximus, quamprimum euellere,

euellere ac remouere, ut commodius, tutius, ac facilius ad humorum internorum putredinis curam accedamus. Quoniam uerò præcipuas in morbo leuando, ac humoribus corrigendis, aeris attracti qualitas partes habet, prouidendum ut qui ab ægro inspiratur aer, purus, & ab omni inquinamento liber, probeq; perflatus, & aquilonibus expositus sit: talis enim saluberrimus esse, uel omnium autorum sententia existimatur. Quamobrem præstandum id erit, ut primo ex ædibus omnia putrida auferantur, uel quæ facile putrescãt, cloacæ sæpius mundandæ, & nullo pacto ferendum erit ut animalia mortua ibidem retineantur, uel simile quidpiam mali odoris. Quod si aliqua causa id fieri probibeatur; citißime quidem curanda est fuga, & loci permutatio. si enim aer ipse putridus erit in causa totius contagionis, optimũ sanè fuerit celerrime fuga se proripere. quod quidem iubet Hippocrates lib. de nat. hum. & ad longissima inde loca, eaque saluberrima se transferant, inde minime de reditu cogitantes quam tota uis morbi dißipata, extinctaque fuerit. Quod quidem uulgus obseruans his tribus aduerbijs quasi compendio Hippocratis mentẽ explicans, uice prouerbij utitur Cito, Longe, Tarde. Cito inquam fugiant pestiferum periculum, ne diutius immorantes malum hũc mor- Hippoc.

bum acquirant; cumque citò discesserint, minime redeant donec periculum sese offerat; & perinde domus in qua postea æger decũbet eligenda erit uersus sita Aquilonem, in loco non utique cauo, qui nullum percipiat perflatum, sed elato: sint tamen fenestræ clausæ quodammodo, ne multus, & pestilens aer ingrediatur, præsertim si quæ erunt uersus Austrum. Quæ uerò ad Aquilonem sunt positæ, interim patere conuenit, ubi potissimum aer clarus, ac serenus fuerit. Turba quoque hominum tunc temporis quantum fieri potest, ingredi prohibeatur; nam præter id, quod aerem pestilentem secum trahunt, domum etiam calefaciunt. Pulueres etiam, ac fumus euitandus erit; nam ita perambulantes, dictus puluis eleuaretur, & auxilium aeri iam putrido præstare poßit, eiusque corruptas uires conseruare. Præterea qui contagione nocent morbi, & pestilentes sunt, cum totius substantiæ morbi dicti sint, (sicut superius dictum est) præsidijs itemque indigent prædictis, quæ quidem tota substantia ijs aduersentur non qualitate ulla elementari. Tam & si pro ratione superãtis in morbo qualitatis, contrarijs etiam qualitatibus pugnandum sit; ut & Galenus commento secundo ad librum de natura humana, & Paulus Egineta libro secundo capite trigesimo quinto docere uidentur,

Galenus. Paulus.

uidentur, ut si intemperies calidior fuerit, refrigerantibus utamur; si frigidior calefacientibus; uti si humidior siccantibus; si iusto siccior contraria qualitate uincentibus medeamur. Sed hoc aduersus qualitates manifestas pugnare est, non morbum, qui tota sua substantia lædit corporisq; nostri substantiam depascit curare, quod pestilens sit, & aliquid contineat substantiæ nostræ aduersarium, atq; corrumpens; ac proinde remedijs opus est, quæ proprietate substantiæ delere pestis contagiosæ uim possint. Domum itaque renouemus, ijs cum rebus, quæ uim quidem exiccandi habeant, neque ut interpres quidam dixisse uidetur ex sententia Auic. cum refrigerantibus, ut apud ipsum uidere liquet lib. quar. Fen. pri. Tra. quar. cuius explanationem quantum ampliorem red diderit Clarissimus, eruditissimus, ac Diuinus quidem ille Paternus, indicent peritissimi ubique homines, eique gratias meritò omnes agamus postquam dixit textum ipsum uel diuturnitate corruptum esse, uel male ab eodem interprete percognitum fuisse; quod ita uerum est, ut probatione magis, quam prædicti Fidelissimi Præceptoris mei auctoritate non egeat. Obstare igitur calidæ, ac humidæ intemperiei, quæ malam nobis aeris dispositionem porrigit, ea, quæ prædiximus aperte demonstrant. Quod

Auic.

Paternus.

cum ita ſit, ea omnia quæ ſuperius poſuimus, nobis ualde erunt accommodata, quibus & nos addemus, ut ſæpius domus hæc aſpergatur aqua roſacea, aut aceto roſaceo, uel utriſque ſimul permiſtis, aut humi roſæ plurimæ, uiolæ, nenufaris flores, ſeu myrti ſubſternantur. In reliquis uerò ædibus, aulæ in qua æger iacet quotidie ignis ſuccẽdatur ex optimis atq; odoratis lignis, ac res etiam aliæ aromaticæ dictæ; ut ſi hyems fuerit ex ſtyrace, laſere Indico, agalloco, moſcho, olibano, ladano, gallia moſcata, citri corticibus aridis, charyophillis, ſampſyco, omnibus (ut ſupra etiam dictum eſt) tritis, & in tenuiſſimum puluerem redactis. Item ex libanotide, lauro, iunipero igni admotis ſuffire licet. Aeſtate uerò cubiculi ſolum ſternatur myrthi folijs, citri mali, ac floribus. Iuuerit etiam ex redolentibus pomis putamina accepta, cum roſis aridis ignibus admouiſſe: roſas item, uiolas, odoratoſque flores multos in cubiculo contineri utiliſſimum: irroretur cubiculi pauimentum, ac parietes etiam ipſi ſequenti aqua. Accipe aquæ roſarum, lib. aquæ myrti, & florum citri ana. lib. i. aceti roſ. albi libræ dimidium, uini cretici. ℥. iiij. omnium ſantalorum ana. ʒ. i. camphoræ. ℈. i. omnibus ſimul mixtis probeq; inuicem agitatis irrorentur cubiculi partes. In ſumma id cauendum

dum

dum ne calidus, & humidus aer sit, sed frigidus (ut diximus) potius, ac siccus; ne caliginosus, conclusus, teter; sed purus, liber, suauis. In hunc etiam usum confert si eadem domus hoc alio decocto inspargatur. Recipe rosarum rubearum manip. i. santalorum omnium drachmas iiij. florum nenufaris, & uiolarum ana manip. ß. bulliant in sufficienti quãtitate aquæ, & addita quarta aceti parte, utare. quæ quidẽ omnia cum fecerimus, satis sanè sufficient ad aeris prædicti coinquinationem corrigendam. & sic deinceps ad aliam perueniemus humorum causam; hoc est primum. Cibi sint, qui & optimum succum generent, & facilè conficiantur, & putredinem horum arceant, ut & uirtus refici, & resistere perniciei cibo instaurata poßit. ob id ad cibum cogendi sunt, qui pestilenti lue corripiuntur, quod in eo affectu prosterni plurimum appetentia soleat: quæ nisi congruo cibo reponatur, mox concidit uirtus. Ob id restrictißimè id dixisse Auicenna lib. quar. Fen. pri. quar. tract. cap. quar. est uisus. Plurimos eorum, qui uiriliter agunt, & se se ad cibum inuitant, à morbo liberari. Pane itaque, ac uino utãtur bono, ac ab omnibus malis qualitatibus libero, ac sincero. herbis quoq; mollioribus, ac minime obduratis: cibos præterea aßumant cum uiribus concordes, hoc est

Cibi quales.

Auic.

Panis qualis.

Ciborum quãtitas unde ſumenda. *tanta eis cibi quantitas exhiberi debet, quantam uires exigunt; illud ſemper conſiderantes, ne nimio cibo eos ſtrangulemus, uel ſaltem putredinem, ac humorum corruptionem augeamus. Quo circa corpora, ut perbelle nos docet Hippocrates lib. ſec. de nat. hum. extenuanda erunt, habita (inquam) ratione ut uires ſeruari poßint uſque ad morbi ſummum uigorẽ, & ubi non ualeant una uice uel duabus in die, eam cibi quantitatem euincere, ac concoquere, in plures tum diuidenda erit, hoc eſt ter, & ſæpius, ſed parum, cibus exhibendus erit, quemadmodum docet idem Galenus com. 17. aphor. lib. pri. Vtantur itaque, iure ex caponum, altilium pullorum, perdicumve carnibus parato, in quod oxalidis, bugloſſi hortenſis, intybi, aut lactucæ folia indantur. Intinctus fiant ex omphacio, roſaceo aceto, oxalidis uel punicorum malorum ſucco. Sed omnia citrij, uel limonis ſuccus bonitate, & uirium præſtantia, in pellendo ueneno ſuperat: quo ne dum in cibis, ſed & in iuribus quoque ipſis, atque etiamnum aquæ ſaccharatæ pro potu immiſcendum puto, ac conſulo. Iſtæc enim omnia putredini arcendæ, ſeminarijs peſtilentibus frangentibus, atque alterandis, principibuſque partibus confirmandis optimè facere, uſu exploratum, ac deprehenſum eſt. Vinum pro potu utique dandum*

Hippoc.

Galenus

Vinum quale.

eſt

est tenue ac odoratum, album, atque paucife-rum, fontanaque aqua dilutum; idque ubi quie ta, ac mitis febris apparuerit. alioquin potus sit aqua frigida, affatim, copioseq; hausta, præ-sertim si æger ardore æstuet, ut Paulus li. sec. cap. 36. ac Auicenna præcitato lib. copiosè do cent. In maiori tamen parte pestilentium fe-brium, ego abstinerem à copioso frigidæ potu, quoniam licet sua aqua frigiditate ardorem compescere possit, humiditate tamen sua ni-mia augere putredinem, atque obstructionem crudiorem reddere, qui propelli debet, humo-rem, uiresque deijcere, solet. Aqua uerò cum utendum est, illi admisceantur, quæ ueneni uim retundere facultatem habent: qualia sunt pa ratus ex succo limonum syrupus, aut de duo-bus granatis, uel ex oxalidis succo; proderitq; plurimum si aquæ immadeāt folia aliquot oxa lidis: nam præter id quod gratam gustui reddūt potionem, salubrem etiam, & uenenis aduer-santem efficiunt. Plus in uigiliam, quam in somnum inclinent ægrotantes, modo uirium ra tio habeatur, ne nimia uigilia labascant uires. Cauendus igitur immodicus erit somnus cum humidiora corpora reddat, sicut uigiliæ siccio ra & imbecilliora ubi modum excesserint. Mo tus quoque sit temperatus, quoniam febrienti-bus haudquaquam conueniens est, tanquam ca

Paulus. Auic.

Somnus, et uigilia

lorem in corpore augens, atque frequentius infectum ac uenenatum aerem inſpirare maxime cogũtur. Corpore igitur, ac animo potius quieſcant, nec tamen ocioſi, ſed uoluptuoſis rebus omnino incumbant, ut continuo contagioſæ peſtis cogitationem animo expellant. Viuant itaque omni conatu ſine ullo penitus timore, ſpeque ſint bona, fiducia in Deum animum foueant, nec mali formidine terreantur. Qui enim animo forti, infractoque ſunt, hi bona ex parte morbo ſuperiores euadunt: ut cõtra qui meticuloſi, puſillanimes, diffidenteſve fuerint, uinci protinus à malo conſueuere. In ſumma ſtrictiſsima uiuant ratione, & plenitas omnis, ac redundantia deſit: quæ ſi forte adſit, primo leuibus clyſterijs tollatur aut ſiliqua Aegiptia, ſirupove roſaceo, aut melle aereo deuoratis. Sed iam ad alterum ſcopum uacuandi ſeminaria morbi ſtylum uertamus. In quo quæri illud in primis ſolet, ſit ne aut ſanguine miſſo, aut purgantibus medicamentis in peſtilenti affectu uacuandum. Galenus lib. pri. de diff. feb. cap. quar. certè in peſtilenti aeris ſtatu, quæ corpora ſuperfluitatibus redundare animaduertebat purgationibus ea ſanare ſtudebat: Quarto tamen de ſanit. tuenda manifeſtè omnino nos docet, ut quod alienum à natura ſit, ut amplius ad primam humoris bonitatem redire

Quies

Quæſtio de ſanguinis miſſione.

Galenus

dire non poßit educamus, & illud primum ten tandum esse. Paulus quoque lib. sec. cap. 36. in sanguinis redundantia secandam uenam peste correptis iubebat, uti & purgandum, tum ijs, quæ à toto corpore superflua educunt, tum ijs, quæ urinam mouent, & (si pituita in uentriculo redundauerit) uomitionem excitãdam consulit. Aetius etiam per uenæ sectionem tentandum esse docet quod putrefactum est euacuare, et ob id potissimum ubi sanguis abundet statim uenam secandam dicebat. Hippocrates quoque quart. de rat. uict. in acut. in acutissimis morbis uenã internam dextri cubiti secãdam eße ait. Idemque Arabs Auicenna pestilentis febris curationem docens lib. quar. Fen. pr. tract. quar. ita inquit. Summa curationis earum est exiccatio: & illud cum phlebothomia, & solutione uentris. Et oportet (subdit) ut incipiatur in ea ad euacuandum. Si autem materia uincens fuerit sanguis fiat phlebotomia; et si fuerint humores, alijs euacuẽtur. His autorum præiudicatæ auctoritatis sententijs, uacuandum esse in pestilenti affectu, seu sanguinis mißione, si plethora adsit, seu purgantium medicamentorum auxilio, si cæteri uincant humores, perspectißimum haberi potest. Sunt tamen hoc in loco dißidia, neque ea quidem mediocria. tum enim de uenæ sectione ambigitur; an

Paulus

Aetius

Hippoc.

Auic.

an in pestiferis febribus conueniat, tum etiã de purgatione. Qui mittendum nõ esse sanguinem putant, hoc potissimum inniti uidẽtur, quod ubi corruptio tota citra plenitatem, è contagione, & seminarijs inquinatis dependet, tum profectò materiæ inquinatæ non esse sanguinis missione, aut purgante medicamẽto, quod delectu trahat, uacuationem moliendam, & pro comperto (inquiunt) haberi debet, & cum Galeno lib. 6. de sanit. tuen. experientia normæ uice habenda sit (aiunt) in ijs, quæ ægris accidunt; exploratumq; sæpissime esse in pestilentijs bonam eorum partẽ quibus detractus fuerit sanguis, aut in grauia discrimina lapsos, aut mortẽ paulo post obijsse: & quibus missus non fuerit, bona ex parte euasisse, atque omnino inutilem in eiusmodi sanguinis missionem fore confirmant. ac proinde neque laborantem adiuuare, neque morbum leuare; sed cõtra grauius ægrũ offendere, et morbum truculentiorem, citiusq; interimentem reddere uolunt: idque perpulcra, optima, ac probabili ratione ostendunt, quod exagitata sanguinis missione pernicies extrinsecus in nos demissa, uacuato sanguine, & spiritu, promptius in pulmones, cor, uenasq; permeet, ac deferatur, maioreque impetu inualescat patefacta ad internecionem uia. Quorum ratio manifesta quidem uidetur, licet alijs

Galenus.

adhuc

adhuc rem ipsam aperte confirment, cum præsertim hoc quoque asserant, quòd sanguis secta uena exagitatus, promptius morbidam excretionem contrahit, quæ docta Galeni sententia confirmatur lib. quin. de sympt. caus. cap. quin. ob id scilicet, quod noxium omne quiescens, cõsuetudine quadam nobis familiare efficitur. Galenus.
Vnde assuefactum corpus, aut nullam, aut certè minime noxam percipit: motum uerò, & agitatum, in partesque sanas impetu latum, illas afficit, & pro sui ratione in contrariũ quendam statum immutat, tumque non sanas tantum partes, sed & eas, quibus per quietem familiare factum fuerat, fatigatione, & alteratione sui generis propria, hoc est perniciosa euertit. & (ut Aphrodiseus Alexander tradit) mota, sollicitataque flamma seipsa calidior euadit: aer autem motus, atque diuerberatus, frigidior. Quod cum ita sit (inquiunt ipsi) cum uena exagitetur secta sanguis, profectò tetra lue infectus, magis ægrum uexabit; perinde atque aqua, uel fel, uel aloe sit admixtum, amara magis fiet si agitetur, quam si consistat; quod experientia docet. Addunt etiam sanguinis missione uires ualde exhauriri, ut minus postea sæuienti morbo resistere queãt. Hæ quidem istorum rationes docent à uenæ sectione abstinendum in pestilenti morbo; præsertim Alex.

ſi morbus iam extra initij fines fuerit, & radi ces iam altas egerit. Sed iam de prædictorum perpulcra opinione ſatis. Nunc ad eorum declarandam perueniamus rationem, qui omnino uenam ſecari iubent. Qui igitur mittendum ſanguinem putant ex ſententia etiam Hipp. ac Galeni, aliorumque doctiſſimorum inniti uidentur, quod cum magnus quidem ſit morbus, extremis autem morbis, extrema remedia conueniant, præſertim uerò ex hijs uenæ ſectio eſt; quam etiam in magnis morbis Hippocrates probat quar. de rat. uict. in acut. tex. 19. Item quod in omni febre putrida ſaluberrimum eſſe uenam ſecare ait Galenus. 11. meth. 1. et 3. de uulg. morb. ca. 26. Paulus quoque, ac Aetius, nec non Auenzoar aſſentiunt, & Raſis, ac alij plerique tum ex noſtri temporis Doctores peritiſsimi, tum maxime antiquorum tempeſtate; nec præterea cõcordari poſſunt adinuicem, adhucque ſub iudice lis eſt. Hæc igitur de propoſitis rationibus, & quæſtione dictarum partium quæ quidem ultro, citroq; perpetuo trãſferri uidetur. Pro qua tamen rixa cõcilianda, ſi quod diſtante ratione, & aſtipulante experientia à nobis, uel ab alijs obſeruatum eſt, ipſi proferemus; uolumus tamen in re adeo periculoſa, tam ſententiam noſtram, quam dubitandi rationem protuliſſe. Vrgent profectò utrinq; rationes,

Hipp.

Galenus.
Paulus.
Aetius
Auenzoar.
Raſis

rationes, urget experientia. Obseruatum est à multis in pestilenti constitutione, quibus secta est uena conualuisse, sæpe etiam interijsse. Iulius Borgarutius Frater, uir quidem nostri tēporis, & scientia, & usu rei medicæ peritißimus, quum anno iam elapso, quo nouißime per totam ferè Angliam pestis grassabatur, Londini medicinam faceret, ausus primus omnium uenam morbi initio in his tundere, felicißimo euentu, & magna cum sui authoritate, inueteratam iam cōtrariam opinionem euertit. Alij tamen tunc temporis alibi locorum, quibus sanguis missus fuerat interijsse omnes obseruarunt, uiri alioqui diligentissimi. Relatum nobis quoque est hic Patauij à nobilißimo, ac eruditissimo legis utriusque, Domino Francisco Gerondano Patritio Vrbinate, quod alias multoties audiuerit ab excellentißimo, Domino Hieronymo Seraphino Medico Præstātißimo, quo tempore Vrbini, ac fere per totam Italiā pestis grassabatur, nunquā uena secta usum fuisse, & recte tamen ei semper cessisse. Ita ut si tum rationes, tum experientiam spectes, statuere nequaquam poßis utrum agas. Breuibus tamen nos ex omnium prædictorum sententia rem ipsam explicare conabimur. Vt si magna plenitudo subsit, uirium robur, & florēs ætas, sitque adhuc in initio morbus, mitti tum absq;

Iulius Borgarutius.

periculo

periculo ſanguis poßit, ac in primis illis diebus nulla expectata coctione, quoniam neque omnino euinci, aut concoqui quod putrefactum, ac corruptum eſt in his febribus à natura ualet, euacuare tentandum eſt. Quod quidem ut tutius fiat uenam internam dextri cubiti ſecabimus, nam uelocißimè, et plurimum ex his, quæ principes ſunt partibus, uena hæc corpus uacuat. una itaque cum Hippocrate, & Galeno quarto de rat. uict. in acut. com. 24. in acutiſſimis morbis hanc incidendam cōſulimus; qua secta, eam, quæ ſiniſtri cubiti interna eſt, uenā iterum ſecabimus. neq; enim ſimul multa ſanguinis copia in his febribus extrahenda erit, ne uires poſtea labefactentur; & ob id tutius erit uenæ ſectionem repetere, quam ſimul multam copiam ſanguinis euacuare; & præſertim per prædictam ſiniſtri brachij uenam, ut quæ magis è directo ſita ſit ipſi cordi. Nec aliud aduertēdum uenit, niſi ſectio uenæ humeralis, quæ quandoquidem ſecanda erit, tum præcipue, ubi uel puſtulæ, uel quid ſimile poſt aures apparuerit; uenamq́ue prædictam internam incidimus, ubi morbus ſub alis, poplitis, ſeu malleoli uena ubi in inguinibus bubones appareant; dextra tamen ubi in dextra, & ſiniſtra ubi in ſiniſtra bubones emerſerint. Quas uenas ac partes prædictas ſatis claras in libris noſtris

Hippoc. Galenus.

ſtris

stris Anatomicæ Contemplationis demonstrauimus, ut quilibet cognoscere poterit. Facta igitur in principio (ut diximus) morbi euacuatione sanguinis, statim ad corpus purgandum accedemus, eodem modo negocium perscrutantes, quo, de uenæ institutione docuimus, hoc est ut principio hoc morbi faciamus. Cum enim iã sparsa contagiosa pestis fuerit, & seminaria morbi latè diffusa, nihil quicquam aut uenæ sectio, aut purgatio, quæ ualidis medicamentis fit, prodesse potest; at longe magis nocere his, quas antea attulimus rationibus. Id ergo in uniuersum obseruandum, ne medicamentis purgantibus ualidis, uenenatum humorem educere satagemus, (magis enim tum irritatur, ut experientia docet) sed placidis, & mitibus agamus: quæ educere modicè noxium humorem, non exagitare poßint: qualia sunt siliqua Aegyptia, mel aereum, syrupus rosaceus, radix barbara, ex decocto acetosæ, scabiosæ, bugloßi, & florum communium exceptis, adiecto aliquo ex antidotis, quæ infra memorabimus. Vel etiam postea mane accipiemus ℥.i. pillularum communium ex loto aloe, uel ante capiemus, uel post ptissanæ parum, aut lactis seri, aut decocti acetosæ, & pro ut uires, temperamentum, ætas, & reliqua postulauerint dosim eorum augere, ac minuere poterimus,

mus, ſingulisq; ſeptimanis idē repetemus ſemel aut bis, uel ter ad ſummū alternis uidelicet diebus. Sed ſi nullū daretur cōmodum quo res prædictas minime habere poſſemus, utile ēt admodū fuerit loco pillularum exhibere ℥.ij.. uel aureos tres, ſpumæ (ut ſic dixerim) illius, quā uinū in dolio cōiunctā relinquit, taſum uulgo ab Italis dicta, ſiue Allume di botte, qua fiat ſubtiliſſimus admodum puluis, & cum uino in formam reducatur ſirupi, aut electuarij, & quo docuimus modo eas drachmas capiat æger, tanquam utiliſſimum remedium, & experientia comprobatum. Percommode enim purgandi uim habet, nec calefacere facultate poteſt, & morbo huic conuenientius fuerit. Quāquam bonum etiam ſit rhabarbarum, agaricū, ſena, epythimum, mirabolani, caßia fiſtula, ſaccarum uiolaceum, tamarindi, roſarum rubearum ſuccus, atq; huiuſmodi, è quibus ea, à Medico ſeligenda erunt, ac inuicem componenda, quæ ipſi pro ratione redundantium humorum conducibilia eſſe uidebuntur. Capiemus quoque, pro pueris præſertim, mannam cum Galeni oximelite, uel cum hordeacea aqua, aut ptiſſana, aut aqua roſacea, uel lacte. Poſtquam itaque omnia prædicta fecerimus, tum ad aeris putredinem expellendam, cum etiam ad humores corporis corrigendos; tempus quoque opportu

num iam erit ut ſpiritus labefactos roboremus, & ſuffumigijs cum antedictis rebus, & remedijs, quæ ſubſcribemus: nunquam tamen deſiſtentes ab aeris reparatione, at prædictos ſpiritus augendo, cum humorum continua diuerſione. Sed hoc primum inſpiciendum erit, memoriaque ſemper teneamus quod ubi putridus, ac peſtilens inſpiratus aer, uniuerſus ad partes ſolidas cordis, aut eiuſdem ſpiritus deflexerit, neque uenæ ſectione, neque purgatione utendum eſt, neque ijs, quæ ſudores, aut urinas cient, ſed cæteris potius medicamentis alterantibus intus, & extra. neque etiam eandem legem obſeruabimus in educendis eiuſmodi uenenatis humoribus, ac in cæteris, ita ut concoquendi, ac præparandi prius ſint, neque natura poſt coctionem, & ſecretionem eos excernere tentat, ſed cum omnino alieni ſint, atque uenenati, eos quam primum expellere conatur; & propterea etiam indiget aliquo confeſtim manum porrigente. Modo, his relictis, ad cor iterum conuertemur, quod cum uentriculo roborare ſtatim debemus, & ſi tempus frigidũ eſſet caryophillys nihil eſt præſtantius, ut ſi unum, atque alterum, uel cinamomi etiam tantillum ore æger retinuerit, aut quidquam ex rebus iam prædictis. Aere uero exiſtente calido idem coniungas cum roſis, uiolis, ſanthalis,

uel maceres cum aceto aut ſimplici, aut roſaceo; quæ quidem magnum præſtare poſſunt auxilium. Tutum etiam quodammodo eſſet fœniculum recens continuo ore continere, aut olfacere, uel aniſum, uel enulam campanam cum ſaccaro conditam, uel melle, uel uino ſaltem commixtam, ſiue acetoſo aceto. Bonum poſtea fuerit, ore nucis glandis quantitatem ponere oppiati illius, quod infra adnotabimus, aut trociſcorum, uel rotularum, quæ etiam poſtea deſcribemus; & in ſumma amara omnia, quæ putredini reſiſtendi uim habeant, & uermes intra corpus necare ualeant, proprium, aptũq; hic locum poſſident, ut ſunt radices, folia, flores, ſemina, ac fructus cardi benedicti, rutæ, ſalicis, hyſſopi, camamillæ, fumusterræ, enulæ cãpanæ, centaureæ, radicis gentianæ, rhabarbarum, myrrha, aloes decoctum, perſicorum, ceraſarum, ac prunorum nuces, amygdalæ amaræ, & alia huiuſmodi ſimilia, quarum partem conſeruabimus. in formam opiati, uel cõſeruæ, ac partem aceto communi, uel roſaceo quoq; conſeruabimus. atque huius mane quotidie ieiuno adhuc ſtomacho cocleare unum, atque alterum exhibere poterimus. Probant etiam multi, & apud quamplurimos Galliæ populos, apud quos diu habitauimus, mirifice obſeruatur, tempore peſtilenti accipere omnibus die-

bus

bus prope auroram, ieiuno etiam stomaco ficũ unum exiccatum cum ueteris nucis media parte, ac rutæ quinque aut sex folijs. quem ficum assari super carbones iubent; quod quidem medicamentum ab eis utilißimum obseruauimus. Ad idem etiam probatur pimpinella tum maior, tum minor, lactuca, & olera id genus similia, quæ in aperto oriantur horto. Ordeum decorticatum, coctumque in lacte uaccæ admodum utile reperitur. Poma aurea, uel (ut uocant) arancea medij saporis, punica poma, pruna, cerasa confecta, uel sicca, poma, pira, syrupi de succo limonum, de succo punicorum pomorum. Bona etiam, & magnopere commendatur à Galeno terra illa Armena, si uera reperiri posset. Commendatur etiam non minus Theriaca, immo ita efficacior habetur, ut Galenus libro de Theriaca ad Pisonem dixerit nullum utilius inueniri hoc medicamento; idq; confirmat, non solum peste correptos liberare, uerum etiam alios sanos penitus conseruare. Galenus.

Cordis tandem regioni epythema hoc erit imponendum. Rec. aquæ oxalidis, buglosßi, nymphea, & rosarum rubearum ana. ℥. iiij. aquæ melissophylli, & florum citrangulorum ana uncias. ij. santhalorum omnium, & corallorum rubeorum ana. ʒ. iij. ligni aloes, corticum mali medici, seminis basiliconis, cinamomi ana. ℈. i.

ossis de corde cerui numero.ij. croci.gr.iiij.uini albi odoriferi.℥.ij.& ß.omnibus simul commistis, cum serico, purpureoq; linteo fiunt epythemata, quæ cordi proderunt ualde. Conuenit insuper eidem cordis regioni hoc medicamentum imponere. Recipe Theriacæ, ʒ.iiij.terræ Lemniæ, & santhalorum rub.ana.ʒ.i.aquæ rof.& aceti parum, fiat ad modum unguenti; & locum inunge. Postea ad sacculos parandos accedemus, qui ualde etiam commendantur, ut Recipe florum nimpheæ, buglossi, rosarum ru. ana.m.ß.florum citrangulorum, rorismarini, & melissophylli an.ʒ.ij.santalorum, & corallorum rubeorum an.ʒ.iij. ligni aloes, corticũ citri, seminis basiliconis an.ʒ.i.foliorum diptami, zedoariæ, ciperi, & baccarum iuniperi an. ℈.ß.croci.gr.iij.ossis de corde cerui nu.i.margaritarum, aut lapidum pretiosorum contritorum, seu solius smaragdi.ʒ.ß.aut ℈.iiij.ambræ, & moschi gr.ij.& cum serico, & purpureo linteo, omnibus simul commistis, ac contusis, sacculi fiant, quos huic regioni ferant ægrotantes, & sic fauente Deo eos à peste liberabimus. Nec aliud quicquam relinquitur curationi nisi oppiati illius descriptionem ostendere, qui quidem experientia roboratur, probaturque ab omnibus, Galliæ, Piccardiæ, Burgundiæ, ac Normandiæ Medicis, apud quos hisce

oculis

oculis mirum fructum ex eo oppiato eos collegisse prospexi, maxima cum omnium laude, ac honore. Recipe igitur rosarum, buglossi, & boraginis conseruæ ana. ℥.i. optimi boli, uel lapidis, aut terræ ex Armenia, Theriacæ, aut optimi Mitridati ana. ℥.ß. pulueris diamargariton frigidi, lætificantis Galeni, & smaragdi, an. ʒ. i. omnia simul commisceantur & singulis diebus mane capiat æger per horam ante prandium unius iuglandis nucis quantitatem, et ratione temporis uel calidi, uel frigidi augeat, ac minuat medicus Theriacam, aut Mitridatum. Confert etiam maxime si capias radices gentianæ, enulæ campanæ cum aceto rosaceo, uel simili sex horis contemperatis, deinde eas exicces, & capias simul radices tormentillæ an. ℥. ß. seminis cardi benedicti, seminis acetosæ, seminis citrij. an. ʒ. iij. citrij corticum exiccatorũ, terræ Armenicæ. an. ʒ. vi. corallorum rubeorum, spodij arabi ueri, pulueris lætificantis Galeni, diamargariton frigidarum, & smaragdi an. ʒ. ij. quæ omnia simul commiscens, postea partem in trociscorum formam reducito cum sirupo de acetositate citrij, uel limonis, & partem in formam rotularum cum saccaro rosaceo resoluto cum aqua rosacea, uel cum aqua eius herbæ, quam aromatarij Morsum diaboli uocant, & aqua cardi benedicti, aqua scabio

ſæ,ex quibus,urgente frigore,capiat æger mane ad pondus unius aurei ſic ſimpliciter. ſed ſi calor uexauerit,capiat cum aquæ roſaceæ ſufficienti quantitate, aut decocti acetoſæ,uel reducat in pillulæ formam, ut roboret partes omnes principes,ſpiritus omnes,& putredini etiã reſiſtet. Poteris etiam hunc in modum medicamentum,quo ipſe utor,parare. Recipe radicum galliopſis.℥.i.ß.croci.ʒ.ij.ſeminis erucæ, radicis angelicæ,pimpinellæ.℥.ß.fiat puluis utiliſſimus.adde Theriacæ Andromaci.℥. iij.miſceantur in mortario. de quo detur ſcrupulus unus ſub aurora,& non ſolum peſte correptos liberabit, ſed etiam id efficiet, ut nemini noceat infectus aer,et ſi aliquem inuadat.qui hoc non ſumpſerit(nam qui ſumpſit liber eſt)recipiat huius electuarij gr.v.uel.vi. cum.℥.ß.olei ſcorpionis tepidi,ac aliud non bibat,ac aquam in qua decocta ſint cotonea duo diuiſa in particulas decem,uel duodecim,aquæ fontanæ menſuras uulgares duas. ad medias coquatur, de quo detur potui quantum deſiderat. Id præcauebit,& inflammationem colli, & aliorum intrinſecus poſitorum. præſtaret antea accipere radicum paſtoniæ,ideſt cardi fullonium. ℥. vi, elotas, & purgatas præparari cum aqua fontanæ cum prædicta forma, & ad ſufficientiam utatur prædicto modo. si autem temperies naturalis,

turalis modo dispoſita erit, propter antiquum genus morbi, uel ſimile, aut ſeni addatur uini iuxta conſiderationem temperamenti, ut notũ eſt. Hæc omnia ſic obſeruando, nullus peſte laborantium morietur. Reliqua ab alijs quamplurimis autorum monumentis petas, eoſque conſulito; reperies enim non paucos, qui peſtis medicamina conſcripſerũt. Nos uerò quæ magis conducibilia uiſa ſunt, ratione, & experimento cõprobata hic meminimus, ne ſcilicet in magnã Tractatus hic excreſceret molem. Qua de cauſa non nulla breuitati incumbens conſulto prætermiſi, quæ fuſius ſcribere potuiſſem. Et ita de uacuandi ſcopo ſatis dictum ſit. Nũc ad bubonis peſtilentis, carboniſq; curationem proximè accedamus. Ergo ſi bubo apparuerit, mox locus, in quo inſidet acurate ſpectandus erit, num in cerebri, cordis, aut hepatis emunctorio conſtiterit, hoc eſt, ſub aures, axillas, inguina: tumque foras euocandi, non intrò trudendi intentio ſit. Euocatur autem foras calidis attrahẽtibus admotis. Quamobrem ex uſu erit cataplaſma ex cæpis, & theriaca confectum admouiſſe. Conficitur autem ſic. Excauentur cæpæ aliquot, intra quarum cauitatem theriaca indatur, ſuoque operculo integantur, & prunis ſimul ſubditæ donec molleſcant reſideant, pròbeque tritæ buboni admoueantur.

Bubonis, carboniſque curatio.

Confert

Confert item cataplaſma ex cepis, calamento, origano, hyſſopo, contritis, et in lixiuio elixis, quibus in tritura addantur ammoniaci guttæ, galbani, ſerapini ana. ℥. ij. terebinthinæ, mellis, ceræ quantum agglutinandis omnibus uiſum fuerit, & buboni ad ſuppurationem admoueatur, theriaca ſemper his, quæ admouentur indita: trahendi nanque ad ſe uenenum, etiam appoſitu, poteſtatem habet, ut Galenus li. de theriaca ad Piſonem conceptis uerbis teſtatur. Galenus. Prodeſt quoque plurimum deplumem gallum, podice buboni admoto diu continuiſſe, ita ut galli ore occluſo, podice trahere aerem gallus cogatur, ſic enim una, et uenenum ad ſe trahit, ſibique mortem concitat. Quamobrem plures in id habendi ſunt, ut in demortui locum alter confeſtim ſupponatur. Ex ficubus item ſiccis, ſale, fermento acri, paſſulis enucleatis, omnibus ex oleo liliorum exceptis, emplaſtrum conficitur ei rei ualde idoneum. Si uerò eum eligere exoptas, qui fortè euanuerit: recipias gũmi euforbij. ℥. i. & ſubtiliſſime pulueriʒetur. inijce aquæ fontanæ libra una. ſtet paululum. Inde intingat linteolos recentes, & tepidè loco bubonis applicato. deinde recipias ficus ſex, uel ſeptem, alchechingis ſeminis. ℥. i. uel. ʒ. x. conterendo in mortario fiat maſſa emplaſtri, ſuper aſſerem quercinum tepefiat, applicetur

loco

loco bubonis, specificata uirtute extrahet, & digeret. suppurato bubone, candenti ferro aperiendum est, diuque fluere permittendum. tũq; extergentibus, & uires trahentibus utendum, donec uenenosa omnis lues exhausta fuerit. Agglutinantibus posteà, ac sigillantibus commode utendum. Interea uerò dum hæc perficimus, antidotis supra scriptis perpetuo utendũ; hacque methodo curari bubo pestilens poterit. Carbonis uerò hæc propria est curatio, ut candenti ferro, si fieri id commodè possit, protinus uenenum intus latens extinguatur: quod nullo præsentiore remedio, quam igne fieri potest. Quod si ignem æger ferre non poßit, aut nolit, scarificatu circumcidendus locus est, sanguisque effluere sinendus: moxque in ambitu, ne uenenum latius serpat, bolum armenam, ex aceto, & rosaceo oleo imponere expedit. Carboni uerò ea admouere, quæ urendi uim habeant, & trahendi facultate sint prædita, inter quæ primas, quæ sequuntur partes obtinent. Accipe uitellum oui, salem tritum, fuliginem camini, fermentum acre, caricas bene pingues, scabiosam, & symphitum simul contrita, & oleo liliorum imbuta, in modum cataplasmatis imponito. Theriaca ex adipe suillo admota, cum salis momento, & pipere optime facit. Non nulli saphyrum tota sui substantia ualere

lere prædicant, si carbunculo admoueatur. Cibabimus ægrotum maxime uictus ratione perstricta, cum acetosa, borragine, beta, buglosa, cũ prunis aqua infusis, & electo aceto, uel saccaro rosaceo. Postea (si fieri potest) æger dormiat die integro, ac nocte; id enim experientia comprobatum multoties est, & quo citius hoc fiat, eo melius, ac utilius. sed si dolor, aut aliud, somnum impediat, rebus ijs utemur, quæ somnum conciliandi uim habeant: Et cum prædictis iam rebus carbonem remouebimus. Sed id unũ interim animaduertendũ erit, ut æger quotidie corpus euacuet, uel cibis, uel natura, uel suppositorijs, aut clysteribus, & ut res postulat ea repetere, donec corpus semper molle inueniatur. Postea copiosè secanda erit uena ex eodem latere, si uires, & reliqua consentiant. quod si semel nõ suffecerit, iterum repetamus, iuxta scilicet Medici consilium, ac rationem. Quod si debilitas, uel ætas, & cætera sectionẽ non admiserint, cucurbitulis scarificatis hoc fiet, aut hirudines; iuxta morbum applicabimus, dummodo quod nocuum est euacuetur. postea iterum remedia morbo applicabimus, cum scabiosa, uel butyro recenti sine sale, aut sanguine dulci, aut alijs rebus prædictis, toties id repetentes, quoties opus fuerit. Si uerò carbones ualde excreuerint, tunc facta prædicta sectione,

ctione, cum rebus omnibus iam dictis, ueneni uim omnino remouendam curabimus. At ubi non amplius ſerpit, ſiſtiturque maligna putredo, tum eſcharam remouere emollientibus expedit, idque ſenſim: quod præſtat iterum butyrum accipere ex oui luteo: item ſi ex altheæ, & maluæ folijs, atque radicibus, aqua decoctis, & cribratis, ex butyro, & ſuillo adipe pulmentum confeceris, unice ad id prodeſſe exploratum eſt. Amota tandem eſchara, detergentibus utẽdum, nempe rhodomelite ex ſucco apij, uel unguento ex reſina parato, aut unguento, quod miſtum officinæ uocant. Deterſa ſanie, epuloticis, ſarcoticisque utendum eſt, unguento ex aloe, myrrha, olibano, ſarcocolla, & argẽti ſpuma parato. Hæc tandem de carbonis curatione dicta ſufficiant.

De præcautione à Peſtilentia, antequam quis incidat: & modo præſeruationis.

NASCI *peſtilentes morbos, ex corrupto, atque uitiato malo aliquo inquinamento, aere: hancque primam, atque præcipuam contagioſorum morborum, & peſtilentium cauſam eſſe, ſatis iam abunde ſuperius dictum eſt. Cauſas deinde alias, ſigna, prognoſtica, curationem, & reliqua iam præpoſui*

mus,

mus, ita ut ad perfectum rei tractatum, nihil ulterius demonstrandum uenit; nisi modum, quo homines à pestilentia præseruari possint, in eam antequam incidant: sic enim absoluta admodum uideri poterit de pestilentibus morbis tractatio. Ergo si pestis uis locum quempiam occupauerit, in quo quidem tales homines degunt, qui iustas ob quasdam causas pestilentem aerem fugere ac alias regiones migrare nequeant, quo minus à pestilenti, & putrefacto aere patiantur, unus siquidem ac primus est in omnibus communis scopus; quod uidelicet corpus quam maximè superfluitatibus uacet atque optime spiret. Secundo loco post hoc, ut præpotenti causæ quo ad eius fieri potest aduersetur. Quare paucißimus spiritus corpus ingrediatur, isque ut maximè peregrinus
Hippo. *sit prouidendum est, ex Hippocratis lib. de natu. hu. decreto uidere licet, peregrinus inquā, hoc est purus, attenuatus, nullo inquinamento corruptus, odoratus, ac salutaris, prorsusque ab eo, qui morbum infert quam alienissimus, quod peregrini nomine indicauit Hippocrates. Prouidebitur sanè ut talis inspiretur, si à septentrione manantes auras, quæ, (ut superius prædiximus) saluberrimæ esse solent, exceperimus, domusque, in qua commorari debent eligatur admodum purissima, ab omnibus præser*
tim,

tim, quæ aerem (ut diximus) coinquinare perfacilè poßint. Idque omni ſtudio præcauẽtes, ne commertium cum eis habeant, qui peſte iam correpti ſunt, quoniam (ut Galenus inquit li. pri. de diff. feb. cap. ſec.) periculo nullatenus uacat, eaque omnia penitus obſeruent, quæ ſuperius in aliorum cura nobis declarata fuere; ac modo iam dicto ignis ſuccendatur; ideſt lignis odoratis, ut ſunt pinus, quercus, cupreſſus, lẽtiſcus, roriſmarinus, myrtillorum ligna, ac uitium ſarmẽta, oliuæ, iuniperus, ac ſimilia: quibus poſtea ſuperimponemus res alias aromaticas, quemadmodum thus, ſtyrax, lignum aloes, hebenum, ocymum, ladanum, iuncus odoratus, caſia, & huiuſmodi. His denique, atque alijs iam prædictis, facta diligenti in aerem obſeruatione, peruenire ad alia poterimus; et pomum, ſeu pilam componere utilißimum erit ex rebus ſubſequentibus, quæ temporibus iam elapſis Londini Angliæ ciuitate ab Excellentißimo Artium, ac Medicinæ Doctore, celeberrimoque Iulio Borgarutio Fratre meo didiciſſe non pænituit. ſimul enim præterea per literas ab ipſo cognoui in acerrima eius regionis nouiſſima peſte ſe ipſum ac alios multos nobiles Patritios à morbo prædicto tali pomo tantum conſeruaſſe, ac multos alios correptos liberaſſe. quibus ego experientijs commotus, rationi-

Galenus.

Iulius Borgarutius.

rationibus, ac fide, illud proponere in aliorum tutelam hoc in loco decreui. Recipe igitur ligni aloes, casiæ, carpobalsami ana scrup. i. spicæ, calami odorati, amomi ana gr. vij. thuris, caryophyllorum, mirrhæ, nucis muscatæ an. gr. v. croci. gr. iij. stiracis. ℥. i. ß. florum nymphææ, uiolarũ, buglosßi, an. ℥. ij. ladani. ℥. iij. ambræ, & moschi, seu zibeti, ana gr. ij. rosarum rubearum. ℥. ij. santhalorum & corallorũ rubeorũ. ℥. ß. contundantur omnia simul, & cum aceto, aqua rosacea, et florib. citrangulorum fiat pomum, siue pila; & ubi opus fuerit adde gummi arabici, seu cremoris tragacanthi, aut resinæ terebintinæ parum. Hocque (ut dictum iam est) præstantißimum est remedium. idque semper quantitate minuere, aut augere licebit, pro diuersa non solum hominum natura, sed etiam ætate, consuetudine, regione, anni tempore, ac fortunæ uiribus. Iuuerit etiam plurimum naribus odorata admouisse, ut rosaceam aquam ex oxyrrhodino exceptam, & uase uitreo inclusam; flores item citri, aut myrti aquam odorasse conuenientissimum. In summa hæc obseruanda, ut aer, qui attrahitur ab omni inquinamento purus sit, & id in primis cauendum ne laborioso motu corpus exagitemus. Quamobrem in pestilenti aeris statu, nec pugna, nec lucta, nec cursu, nec citatiore aliquo motu, multo

que

que minus uenere fatigandum corpus; sic enim multum spiritus ingredi corpus necesse est, quod perniciosissimũ Hippocrates lib. de nat. hum. iure censuit. Quin ab ira, mœrore, omnique animi perturbatione tum maximopere cauendum. Cõcitant enim hæc corporis succos, & à naturali statu euertunt, ut docta Galeni in Arte Med. sententia est. Nec tantum ijs procuranda salus homini, sed, & congruo ciborum, potionis, somni, uigiliarum, ueneris, inquam usu. saluberrimis igitur utendum cibis, qui & concocti faciles sint, & probum sanguinem generent: quales sunt cibi omnes facilis concoctionis, ac putrefactioni minus obnoxij. semperque eis acetum, aut quempiam alium succum præsertim mali medici, permiscendo. nihilque adeo uitandum erit, ac nimia cibi, & potus repletio, ut alias dictum est. uitanda quoque ut letale, est cruditas, nec minus & fames, sed quantum oportet, & uires exigunt exhibere conuenit. Sit itaque carnis usus moderatus assæ, magis quam elixæ, qualis est inter auitij genera capi pinguiculi, chortales pulli, perdices, phasiani, starnæ, meleagrides, & quæ in dumetis, ac saltibus degunt aues, turdi, ficedulæ, alaudæ, turtures, merulæ, quæque multo uolatu, & tenui, siccoque alimẽto utuntur. Ex quadrupedibus lactantes uituli, hædi pinguiculi,

Hippoc.

Galenus.

capreoli, lepores, & castrati probè alti conueniũt. à bubula, atque suilla, et ijs omnibus, quæ uel humidam, uel excrementis refertam carnem habent, omnino cauendum erit. Pisces item saxatiles omnes commendantur, ac mullus, fluuiatilis truta, scorpius, pelagicus mugil, et reliqui, qui saporis suauitate cæteris præstant, minimè lentam, seu uiscosam, & crassam habentes carnem; qui omnes tosti in craticula ex aceto conferunt. Oua recentia. sorbilia, & tremula conueniunt. Ex oleribus æstate lactuca, pimpinella, oxalis, cicorium, soncus, scariola, endiuia, & huiusmodi ex aceto conueniunt. Hyeme uerò cappares, melissophyllum, ac flores mali medici, ubi leuiter ebullierint, similiter ex aceto. A fructibus omnino abstineãt, præter quam si acidi fuerint, nec recentes ut sunt limones, aurea mala, acida mala punica, mala medica, pruna, uua passa, carices, nucæ pinus. hisque omnibus uti conuenit, & uniuersaliter uictus ratio omnis exiccans esse debet, similiter & refrigerans, postquàm (ut alias prædiximus) ab immodica aeris intemperie calida, & humida, ac ab eodem putrido existente pestilentia generatur. Sit præterea uinum, quo utimur tenue, pauciferum, odoratum, æstate album, hyeme rubrum. Aestate dilutius, atque copiosius: hyeme parcius, atque

meracius

meracius bibatur. Somnus autem, & uigilia, moderata omnia ſunto: uitandus tamen erit ſomnus meridianus, præſertim inſuetis. Iuuat hoc tempore fabulis, comedijs, iocoſis ſermonibus, locis, leui lectione, liberalibus ludis, ac rebus omnibus, quæ facultate mærorem abſoluunt animum recreare. ſimiliter & animi affectus omnes immoderati, ut ſunt contagioſæ peſtis conſideratio, periculorum, mortuorum, ac omnium tandem triſtitiarum memoria, animo tunc omnino repellendi ſunt. In uenere poſtea ſumma ſit parcitas. Nihil enim magis aut corpus, uireſque eneruat, aut excipiendæ peſtis promptiorem facit, intempeſtiua, aut immoderata uenere: à qua ceu periculo præſentiſſimo in peſtis graſſatione cauendum doctiſſimi quique cenſent. Frictiones lenes cōueniunt, potiſſimum aluo exonerata: curare ſiquidē præſtat, ut ſingulis diebus uel natura excrementa excernantur uel arte, clyſteribus uidelicet lenibus, aut glandibus. Exercitio & modico admodum, nec uiolento, ſed pedetentim omnino utendum erit. Vbi hæc ad unguem obſeruata fuerint, antidotis, & alexipharmacis muniendum corpus, ne peſtis irripere poſſit. At inter hæc, ſimplicia quædam ſunt tota ſua ſubſtantia eneruandæ contagioſæ peſtis congruentiſſima: in quorum albo primas partes bolus Ar-

menus, & Lemnia terra (quam uulgus medicorum ſigillatam appellant, iure tenere à Galeno lib. de Ther. ad Piſo. et lib. non. de ſimpl. facul. atque medicis omnibus dicuntur, non tã quod ſiccando proſint, quam quod uenenoſæ ſubſtantiæ intro conceptæ tota eorum ſubſtantia aduerſentur. Vbi eadem terra, & bolus ad nos propriæ peruenirent. Dictamnum Cretenſe hæc proxime ſequitur, de quo illud produnt. Capras in Creta ſagittis percuſſas ueneno litis, huius herbæ paſtu excutere illas facile. Quod & Dioſcorides affirmat lib. ter. cap. 31. ac proinde uenenatorum ictibus, omninoque uenenoſæ materiæ aduerſari creditur, rutam, abrotanum, ac Matthioli ueronicam, pẽtaphyllon, cinnamomum, agaricum, ſmyrnium, uiticis ſemen, ariſtolochiam; lauri baccas plerique ualde commendant. Perinde atque zedoariam radicem, quam uel ore retentam, uenenatos halitus pellere ſcribunt. Citri ſemen ex Auicenna canon. ſec. cap. 120. Excellentiſſimus Artium, ac Medicinæ Doctor Franciſcus Guidanus Ilicienſis Pariſiis mihi ualde commendauit; ut quod uenenis omnibus aduerſari pro cõperto haberi uelit. Quin & citri odorem, aeris corruptelam, & peſtilentiã omnem repellere idem ex eodem, confirmat: quod & longo uſu, atque experientia in multos ab ipſo Lutetiæ compro-

Galenus.

Mattiol.

Franciſcus Guidanus.

comprobatum est. Hæc ex immēsa simplicium silua pestilentiæ propulsandæ aptissima, collegisse sat fuerit: ex quibus pulueres, confectionesque parari rite possunt. Sumantur autem uentre uacuo, ex rosarum, intybi, aut buglossi aqua, uti hyeme ex uino odorato: Sumenda autem ad drachmæ unius, duarumve pondus. Modo ad antidotos describendas properabimus, in quorum albo primas partes Andromachi Theriaca, uel Galeni testimonio, Mithridatiaque antidotus tenent. Quæ etiam à Galeno Centenaria appellatur, mirificè prodest. Paratur etiam medicamentum quoddam comprobatißimum ex rutæ folijs, caricis pinguibus, et alijs, quæ modo adnotabimus. Recipe rutæ folia uiginti, nuces iuglādes duas, salis grumum unum, caricas duas; tritis omnibus simul sumatur instar offæ, seu boli: aut si quis integra hæc, nec contrita deuorare uelit, præstiterit id fecisse. Sunt pillulæ illæ, quas seplasiarij communes uocare in usu habent, cui quidem medicamento multum profectò tribuendum est: siquidem ualentissima sunt ad id muneris ea, ex quibus conficitur. Sequitur postea myrrha, quam ego antidotum cæteris cunctis in præseruandis à pestilenti lue corporibus præferri debere iudico, quam subsequitur Guidonis antidotus, quā recentes theriacalem Guidonis appellāt. Cata

Galenus.

Guido.

potia

potia hæc etiam à multis admodum commendantur; ut, Recipe pulueris hieræ simplicis Galeni. ʒ. i. rhabarbari cum spica, tantundem, aut. scrup. iiij. cum aqua melißophylli, aut buglossi. fiant catapotia, & præbeantur. quibus per horam, uel alteram mellis aerei, aut syrupi è pluribus infusionibus rosarum rubearum. ℥. ij. aut. ij. ß. cum eisdem aquis exhibeas. Quod si pituitosi magis redundauerint humores, pro rhabarbaro, agarico utare: si melancholici, sena, & epithimo. Saccharum quoque rosaceum, & buglossatum, non parum etiam confert. præsertim si cum eorum aliquo drachmã unam huius pulueris mane per tres horas ante cibum exhibueris, aut cum exiguo uino albo odorato, & aqua rosacea. Recipe cornu cerui usti, seminis citri, ana. ʒ. ij. foliorum diptãni cretensis, baccarum iuniperi, radicis tormentillæ, zedoariæ ana. ʒ. i. seminis rosarum, oxalidis seminis, corallorum rubeorum, ana. scru. ij. croci gr. iiij. fiat puluis, ac modo prædicto utere. His antidotis, si quis rectè utetur, à pestilẽti labe seruari immunis poterit: præsertim si Galeni consilium fuerit sequutus. Is enim in pestilenti aeris statu corpora pleniora, & plethora referta, inanire sanguine misso curabat, uti impura, & cacochyma, dato medicamento purgare: quæ sicco erant habitu, in eo ipso ser

uare

uare studebat: quæ obstructionibus obnoxia erant, ab infarctu liberare de obstruentibus satagebat: quæ humidiora essēt, omni studio exiccare nitebatur; sicque à contagiosæ pestis labe illæsa seruabat. Hanc methodum si qui sibi caueri uolunt, sequentur, pestilentis ueneni noxam non sentient. Quamobrem hic finē iam faciamus, si id unum prius testatus fuero, maxima me admiratione teneri, priscos autores ita sui oblitos, ut de pestilenti contagione uix uerba fecisse uideri poßint. Non Hippocrates, nō Galenus, Paulus, Aetius, Alexander, nō denique, qui illis successere Arabes, quicquā nisi tenue, et exiguū de ea re tractare aggreßi sunt.

Tractatus de Peste,
Finis.